Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 441
Quelle:
Copyright:

Salue uerbi ſacra parens,
Flos de ſpina ſpina carens,
Flos ſpineti gloria.

Nos ſpinetum, nos peccati
Spina ſumus cruentati,
Sed tu ſpine neſcia. &c.

CCLVIII.

R. 3258 Codex membraneus lat. Sec. cum XI. tum XII. Folior. 189. f. eleganter ſcriptus, coloribusque illuſtratus exhibet I. *Origenis Adam. Homilias* XXVIII. in *Librum Numerorum*, manu Sec. prioris, e verſione *Rufini*, et cum hujus Praefatione, licet ambigue praeſcripta ſit *Prefatio Origenis*. Hanc Elenchus excipit, qui non niſi XXVII. numerat *Homilias*, cujus ratio eſt, quod in Opere ipſo ultimae duae in unam contractae ſunt. Itaque nihil prorſus in Codice deeſt. Titulus Operis: *Incipit Expoſitio Origenis In Librum Numeri.* Initium: *Diuinis numeris non omnes digni ſunt* &c. Textus collatus cum Edit. *Maur.* T. II. *Pariſ.* 1733. p. 275. f. utcunque caſtigatus eſt, imo habet, quae tacitus praeterire nequeo. *Rufini* Praefationem *Ruaeus* editor inſcripſit *ad Urſacium*; legit enim in decurſu: *te quoque ipſo in quam plurimis juvante, Urſaci, noſtrum laborem, dum nimis cupidus puruli notarii tardum putas eſſe miniſterium.* Aſt ego lego: *te quoque ipſo in quam plurimis iuuante urſatii noſtri laborem. dum nimis cupidus es, pueruli* &c. Ut igitur *Urſacius pueruli Notarii* nomen, Praefatio vero ad *Donatum*, quem in principio adpellat, directa eſſe videatur. Praeterea paene malim, *quod Italie ſolum Siculo dirimit* pro *ubi — dirimitur*, item *ſenſus alienos captare* pro *aptare*, item *explanationum libris* pro *explicationum*, et *fructum in profectu legentium ponat* pro *in profectum promat.* Dein *Homil.* I. *mulieres educuntur* pro *deducantur*, item *uirtus iſraelitica* pro *virtus in Iſraelita*, item *Innumerati enim apud Salomonem* pro *Innumeri* &c. II. *fol.* 136. manu Sec. XII. *Incipit prologus bieronimi presbiteri in expoſitionem eccleſiaſtis.* Ita nempe: *Memini me ante hoc ferme quinquennium* &c. Ut edit. *Vallarſ.* T. III. *col.* 381. cui Codex noſter cumprimis conſentit. Noto tamen in Operis ingreſſu legi *prophetiam Chriſti et eccleſię continentes* pro *ad prophetiam Chriſti et eccleſiae pertinentes*, dein pro *Logica* vel *Theorica* haberi *Theologiam*, item pro *regni proprii merito vindicatur* vel *indicatur* vel *judicatur auctoritas* ſcriptum eſſe *regni proprii metropolis uendicatur auctoritas.* Non abſone, ſi τὸ *metropolis* gignendi caſu ſumatur; dixerat enim paullo ante *Hieronymus* de *Metropolitis*, *hoc eſt, habitatoribus Jeruſalem* &c.

CCLIX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3063 XII. Folior. 131. f. per duas columnas eleganter exaratus, minio diſtin-